Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

98

rent accessit. Maxque sacro loculo sanctos exceptos. in proximam quandam domum intrinsecus confirmandos transponunt. Ea de die quidam illuc demoniacus adductus: cum penes loculum ipso abscedente esset relictus. post modicum intervallum meritis virginis a nequam spiritu est liberatus. XXVIIII.

Subrepta fere hora sanctimonialibus a loco in quo sacri corporis exuvias a decerpta curanda residentibus: puerum a naturali compage membrorum dampnatum. penitusque ab ipsa nativitate contractum. vaiol ut brachio ferebat ecclesie intulit. Inde aliquam sanctimoniali unius domum cultu qua corpus sanctissime servabatur intromissus: parva mora intercedente puer nimio clamore repente emisso. ad vocem ceteris accurrentibus membris omnibus officio nature directis. sanus divino auxilio est inventus. Hunc multo post modum tempore eadem incolomitate gaudentem prospero usque gradu conspeximus ingredi. XXX.

Alter item puerulus oculis captus: sed et quorundam membrorum inequalitate confectus: alio ferente illo deportatus: et ante loculum proiectus. visu et ceterorum membrorum integritate. virtute Christi et auxilio sanctissime virginis repente cunctis stupentibus. et gratias deo clamantibus est remunatus. XXXI.

Plura deinde et usque in presens tempore pene cottidie: cum fide petentium ibidem domino Christo operante exhibentur solatia. cum corporum tum quod prestantissimum est animarum. Unde consciam unius cuiusque supplicantis satis presentit. quantam in efficaciam precum suarum reportet. Et non diffidentia sola retundatur: verum fide Christi certus fatebor. nulli illuc suspiria. nulli gemitus vel lacrimas pleno corde profusas: quecumque illa fuit necessitas vel angustia in aliquo vacuo fructu recusas.

Prestante domino nostro Iesu Christo qui cum patre vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Passio Theodorici martiris:

Tempore bone memorie Constantini imperatoris. Iulianus cum esset adolescens. et eius odio viveret: et confugiens ad ecclesiam antyocensem lectoris fungebatur officio. Recepto vero de corpore Constantino. Iulianus conversus est fide: et prevaricator effectus: ydola colens imperium regnum suscepit. Sicque omnes christianos non vi. non minis. sed premia promittens. et dignitates. persuadebat ad sacrilegam legem. Cumque avunculus eius Iulianus et ipse deum ans immolasset. accepto vite gladium comes factus est orientis. qui statim restituit ydola. Audiens vero ecclesiam antiocensem multitudinem auri et argenti habere: quosdam opponens. clericos effugans. clausit ecclesiam dei. Qui vero dispersi erant unusquisque deo ut poterat serviebat. Sanctus vero Theodoricus supra memorate ecclesie presbiter: non discedens de civitate: sed congregans secum quosdam fratres. sine cessatione collectam faciens. acceptabiles deo fundebat orationes. Audiens vero Iulianus hunc facere collectam. volens placere imperatori. sedens in secretario eum iussit sibi exhiberi. Introducto igitur Theodorico ligatis retro post manibus: Iulianus dixit. Tu es Theodoricus qui tempore Constantini imperatoris prohibebas deos coli. et aras. et templa destruebas. et ecclesias edificabas. et sepulcra mortuorum. Theodoricus dixit. Ego inquantum potui ecclesias et basilicas martirum edificavi: ydola vero et aras demoniorum destruxi. ut animas errantium liberarem.

Iulianus dixit. Da igitur diis honorem: quia te ista confessus es. Theodoricus respondit. Tempore Constantini imperatoris me ista fecisse cognoscas: nec ab eo aliquando fuisse prohibitum. De te nunc miror prevaricatore: subito demoniorum vindicem apparuisse. Iulianus dixit. Cedatur in plantis: quoniam ydola deos negat esse. Iulianus dixit. Cedatur et in faciem palmis insipiens: ut non blasphemet. Theodoricus respondit. Noli errare et me vana dicentem iniurias agere.

Iulianus dixit. Nunc vapulans indignaris. subsequentur vero tormenta que non speras. si non sacrificaveris. Theodoricus respondit. Et paulo ante dixi tibi: et nunc dico. Noli peccare dicendo deos que sunt opera manuum hominum: sed depone hanc temporalem superbiam. et recole quod amisisti. Iulianus dixit. Nolo mihi verba composita et emtita loqui quibus in istis nobis persuades. Theodoricus respondit. Cum dum colebas confitebaris veritatem: et modo eum abhominabis. Nunc vero elatus in superbia. ydola deos dicis: et veritatem mendacium putas esse: Iulianus dixit. Dissertaris sacrilege tamquam ab athenis nuper adveniens. Theodoricus respondit. Ego nec ab athenis nec ab oratore: sed divine scripture irrigatus spiritu spiritus sancti: tuis respondeo interrogatio

x. k. Apl.